



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignatius Sive De Vita Et  
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

**Bidermann, Jakob**

**Antuerpiae, 1635**

Studia & ærumnæ Salmanticæ. Cap. IX.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5**

IGNATII studia & arumna Sal-  
manticae. CAP. IX.

60. CETERVM Compluto dis-  
cessurus, instituit Valliso-  
letum ex negotio petere, quod  
cum Alphonso Fonsecā, Antistite  
Toletano, conficeret. Hic cum be-  
nignè complexus, & re, cuius a-  
genda venerat, effectā, Salmanti-  
cam cum viatico, inter opportunas  
pollicitationes dimitit. Eò pro-  
fectus, continuò coepit more suo  
mortales quosque ad virtutum stu-  
dia perlicere, illaque eadem agere,  
quæ alibi visa iam erant in familia-  
ritatem vertisse. Quapropter paucis  
iterū diebus increbescere rumor,  
atque IGNATIVM ad omnis or-  
dinis homines differre: qui & rei  
nouitate & mali metu exciti, accur-  
rere; deque dicentis libertate, & in  
mouendis animis facultate sollici-  
ti, cogitare, ne quod virus in eo vir-  
tutis schemate tegeretur.

61. Re omni nouissimè ad Ma-  
gistratum delatā, hoc facile profi-  
ciunt,

D 5

esse  
uitas  
ratu  
stari  
  
bilis  
au-  
edi-  
lere.  
util-  
ni-  
ta ,  
entè  
bus  
ri-  
non  
lu-  
ecti  
œ-  
fa-  
um,  
in-  
la-  
has  
œ-  
  
A-

ciunt, vt iniectis catenis ipse ac socius arctissimè colligati, nusquam possent ab altero alter diuertere. Dies duos & viginti tenuit is carcer : cum nihilo intereà minor ad illum concursus fieri , & ipse in via liberè pro virtutibus dicere, verbisque omnes ad honesta accendere perrexit: tantis occupatus gaudijs , vt patiendi cupidior, ijs succensuerit, quibus ideo se esse miserabilem videret : confessus , eos ignorare, quas carcer, quasque alia damna delicias innocentibus partuissent. Per eosdem dies annum, & si quid aliud captiuis opus erat, aliqui ciuium vbertim suppeditabant. Sed neque à quæstionibus habendis cessatum fuit : quæ tamen ipsæ quo diutiis acriusque exercitæ, eò sublimius innocentiam euexere. Et euenerat tunc, vt forte quadam effractus carcer , captiuis patefecerit viam. Nec omisere certi, quin fortunâ mox vterentur. In libertatem elapsi clam omnes; quod per sententiam nequierant,

per

per f  
stera  
ac va  
Soci  
mici  
gam  
hoc  
conf  
dice  
mira  
font  
clam  
6  
que  
ban  
quæ  
TIV  
Eos  
dis  
nir  
que  
reb  
vt  
turl  
ter  
gna  
tun

per fugam seipsi absoluerunt. Postera dies carcerem æquè apertum ac vacuum ostendit. Solus ibi cum Socio IGNATIVS, tresque eius amici, quos eadem inuitare ad fugam occasio potuerat, restitere: vel hoc argumento docturi, quibus conscientia patrocinetur, eos à Iudice carcereque non timere. Admirata factum insigne ciuitas, infantes haud dubio consensu proclaimauit.

62. Ad extremum Magistratus, quem Baccalaureum Friam dicebant, cognitæ virtuti innocentiae-que testis è iudice factus, IGNATIVM Sociumque probos esse doctrosque homines affirmat: & fraudis scelerisque obiecti puros, ex animi sui sententiâ, pronuntiat. Atque ita vinculis eximuntur. Apparebat pridem huc spectare DEVM, ut IGNATIVS per hos fortunæ turbines duratus, decumanas olim tempestates superare, & vel pugnantibus ventis nauim ad portum, quem ipsi DEVS edixisset,

appel-

60 S. IGNATII VITA.

appellere condisceret. Nam & ingentibus illum animis impleuit, & crescente desiderio accensum, ad Socios scribendos impulit, qui cum ipso vniuersi in subsidijs essent, dum ad communem laborantis mundi opem ducerentur.

IGNATII studia & arumna  
Parisiis. CAP. X.

63. INDE cupiditas inuasit Lutetiam ire; urbem Parisiorum à litteris apprimè celebrem, & Musarum vetustissimam sedem: idque consilium quâ constantiâ cepit, ita retinuit ut obnitentibus multis, & immania damna, viæque incommoda prædicantibus, eripit tamen hanc sibi mentem numquam pateretur. Hi, temporis cælique inclem tam proponere: hi, loci hiemes, & anni frigora memorare: tum deinde funestum Gallos inter Hispanosque bellum, & iam mutuis cladibus geri cœptum: rursus terricula, quibus itinera forent septa, ostendere: adductis

com-